DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE

SCIRRHO,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
pro
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea
SUMMISQUE
in Medicina et Chirurgia honoribus et privilegiis
rite et legitime obtinendis
in celeberrima
ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Vicentius Christen,
Moravus Altstadiensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die . mensis Junii 1842.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

FRATRI

SUO ATQUE BENEFACTORI GENEROSISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO CHRISTEN,

MAGISTRATUS REGIAE METROPOLIS

BRUNNENSIS CONSILIARIO

IN

PERENNIS GRATITUDINIS

PII AMORIS

ET

SUMMAE VENERATIONIS

MONUMENTUM

HAS SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT

gratissimus Frater.

Frater optime!

Dies hodierna festiva, qua omnibus Academiae legibus satisfaciens, novam vitae meae quasi epocham ingredior, mihi occasionem offert saepius optatam, palam faciendi meas in **Te** gratidudinis sensationes intimas, quibus cordis mei fibrillae omnes vivificantur. Ast verba mea imbecillia, tam parum valent, tot tantaque beneficia enumerare, quibuscum larga manu a pristina infantia usque ad hunc diem me cumulasti, tam parum valent, palam facere meas in **Te** gratitudinis sensationes. Accipe propterea **benevole Frater, unicus mihi Benefactor** ipsissimum hoc opusculum in Monumen-

tum aeternae meae erga **Te** gratitudinis amoris et observantiae! Sit autem, hoc intime rogo — sit mihi et tessera **Tuae** erga me perennis benevolentiae, **Tuique** perennis favoris

gratissimus

Frater Vincentius.

C o n c e p t u s.

Scirrho vocabulo, quod derivatur a graeco σκιρρός· Graeci medici usi erant ad designandos tumores duros. Nunc temporis fere ad unum omnes sub nomine scirrhi illud carcinomatis stadium intelligunt, quo productum morbosum adhuc in initio ac certae duritiei gradu versatur, quodque in ulteriore evolutione aliis insignitur denominationibus uti: carcinomate, vel cancro aperto. Habentur pro scirrho synonima: cancer carcinoma, imo fungus haematodes.

Transeundo vim nominis generalem, hic illarum conditionum morbosarum, quae sub diversis supra memoratis denominationibus subintelliguntur, et generico nomine carcinoma designantur, conspectum in medium proferre velim.

Nosologi Anglici sub carcinomate non solum scirrhum proprium sensu strictiore, verum etiam sic dictum fungum medullarem vel Matiére encephaloide juxta Laenec comprehendunt. Haec classificatio nobis arridet, quod utraque morbi forma in characteribus principali-

bus collimat. Utraque nimirum: 1) e substantia solida aut fluida constat, quae diversa a qualibet alia parte organica inter moleculas sese format, heterogeneaque illis sese insinuat; 2) utraque quoad primam originem et ingruentem destructionem texturarum ab eadem contactarum evolutione absoluta; et tandem 3) utrique proprium est, eodem simul tempore in pluribus locis sese evolvere, aut post disparitionem ex una parte in altera sese reproducere.

Characterem formationis scirrhosae Prof. Schönlein ampliori adhuc sensu mente concipit, atque inde classificationem et ingenio et sagacitate maxime conspicuam superstruxit, secundum quam carcinoma morborum familiam constituit, in qua aneurysma ut scirrhus aut proprie ut carcinoma arteriae, melanosis ut venarum, fungus medullaris ut nervorum carcinoma continetur.

Utilitatem practicam spectantes, eam significationem, quae ab Europae medicis potissimum est recepta, secuturi et ad illam speciem nos restricturi sumus, quae sensu strictiore ceu carcinoma vel scirrhus denotatur.

Antiquissimis temporibus quodlibet ulcus qualitatis pravae, praeprimis fungosas excrescentias fovens, in profundum vergens, ulcus carcinomatosum nuncupatum est. Andral carcinoma non pro morbo substantiali habebat, omnia et qualiacunque morbosa secretionis et nutritionis producta in carcinoma transire posse arbitrans, quodsi continuo ulteriorem et profundiorem ulcerationem moliuntur.

Hodierno tempore carcinoma juxta nosologiam ad novas morbosas formationes organicas absque dubio re-

ferendum, et ejusmodi formatio ut carcinoma designanda est, quae cum ponderosa dura intumescentia incipiens, ab initio indolens est, serius urens evadit, et nisum fovet in fungosum ulcus basi duritiei fere lapideae instructum, ulterius semper repens, transeundi.

Varietates.

Plures scirrhi ejusque stadiorum ulteriorum diversitates in medium prolatae sunt, quibus tamen differentiae essentiales non semper dignosci possunt, quum in textura et in mali hujus exitu omnes varietates occurrunt. Ceterum phoenomenorum, quae sub carcinomatis decursu adparent, omnino diversitates animadvertuntur quae autem ab organi morbo adfecti proprietate praeprimis dependent, vel aliis adhuc circumstantiis originem debent, ut nimirum causis occasionalibus et disponentibus morbi stadiis ejusque complicationibus, individui morbo detenti constitutione et pluribus aliis adhuc ignotis momentis. Sic Abernethy sarcoma distinguit pancreaticum, quodsi carcinomatis structura glandulae pancreaticae homogenea adparet. Laennec discernit matière colloide et Cruveilhier cancrum gelatiniforme unice secundum externam faciem. Itidem Alibert ut varietates profert cancrum lardosum, hydatosum, nodulosum, tuberculosum, porro fungoidem, terebrantem, eburneum, globosum, anthracineum et melaeneum ea solum ex causa, quod externa illorum facies hisce denominationibus in certis stadiis quodammodo respondet.

Differentiam maximi momenti procul dubio cancer sic dictus cutaneus constituit, sedem suam in corio aut membranis mucosis figens.

Cancer modo memoratus revera origine sua, decursu et curationis modo a formationibus scirrhosis, quae in aliis organis radicem suam figunt, essentialiter differt.

De carcinomatis sede et formationis modo.

Dantur quaedam corporis animalis organa, quae secundum structuram primum scirrhosae formationis initium observandi nobis nonnumquam offerunt occasionem, qua observamus, substantiam heterogeneam, quam si sensibus nostris primo eam detegimus, modo ut nutritionis, modo ut secretionis productum eodem modo, ac sanguinis partes nutrientes ab organi moleculis susceptae, ejusdem formae et texturae pedetentim sese insinuat. Ut secretionis productum in superficie quadam, quae libera patet, in lucem emergit, reliquis materiis secretis non absimilis.

Unde igitur patet, carcinoma duplici modo formari, et uterque formationis modus respectu sedis a se invicem differre.

In scrutinio nostro ulterius progredientibus vixullum superesse potest dubium, quin substantia scirrhosa, carcinomatosa, quibusdam circumstantiis faventibus in sanguine jam occurrat, idemque primitivam illius sedem constituat.

I. Hepar et ventriculus, quorum organorum utrumque creberrime carcinomate adficitur, luculentissimum exemplum praebet de ejus formationis modo, qui in organi adfecti moleculis occurrit. Hepatis carcinomatosi irregularibus scirrhosis formationibus in primo stadio plus minusve adfecti incisione in-

stituta in illis locis, unde formatio carcinomatosa primam originem repetere videtur, exiguam, parvis punctis adstrictam organi decolorationem animadvertimus, quae plerumque nil aliud, nisi hepatis acini sunt. Haecce decoloratio, quae a flavescente in lacteum aut stramineum transit colorem atque cum consistentiae augmento est conjuncta, modo ad singulos acinos restricta, modo ad plures simul extensa adparere potest. Sub hac decoloratione et consistentiae augmento neque formam, neque molem acinos ullam mutationem subire, maximi est momenti, quod alio modo explicari non potest, nisi quod materies heterogenea ad organon delata aeque ac elementa nutritionis normalia inter organi moleculas deponuntur, consimili modo, quo sub nutritionis functione fieri solet. Quodsi sub hoc respectu alius processus obtineret, cum coloris et consistentiae acinorum mutatione eorum quoque augmentum incederet. Rem ulterius prosequentes, acinos coacervari observamus, qui a magnitudine seminis canabini illam ovi anserini adtingunt, ceterum hepatis structura adhuc semper homogenea, quum acinorum congregatio per amplum temporis spatium adhuc conspicua redditur, donec tumor in massam deformem tandem abit, quo textura peculiaris deletur.

Simili modo scirrhus ventriculi evolvitur, quod praecipue animadverti potest in membranis muscularibus, in quibus singularum fibrarum muscularium decoloratio facillimo modo detegitur, quodsi substantia carcinomatosa primo inter illas deponitur. Fibrae magis consistentes redduntur, attamen neque volumine augentur, neque forma atque dispositione stratorum singulorum mutantur. Ita res se habet cum textu celluloso inter fibras musculares propagato, ubi decoloratio ob normalem colorem pallidum difficilius conspicitur. Serius demum tex-

tu celluloso et fibra musculari volumine auctis structura scirrhosa evolvitur, quae fibram muscularem et textum cellulosum in massam heterogeneam, attamen homogeneam resolvit. Huic scirrhi formationis modo penitus respondet fungi medullaris evolutio.

II. Quemadmodum supra memorata depositio carcinomatosa inter moleculas organicas mera nutritionis modificatio consideranda est, ita schirrhi formatio in libera serosarum membranarum superficie pro secretionis modo peculiari haberi potest. Illud nutritio mutata, hoc alienata secretio, ac utriusque discrimen secundum vocem tantum existit. Ultimus scirrhi formationis modus id nobis commodi praestat, quod in extensis superficiebus serosis v. g. pleurae vel peritonei evolutionis modum simplicissimum adcurate observare possumus, cum materiam carcinomatosam in his membranis depositam crebro invenimus, quin eaedem minimam mutationem subiverint. In pleura et peritonaeo numerosos saepe varie coloratos reperimus tumores a magnitudine seminis canabini ad illam fructus aurantii, qui modo adipi, modo mammarum glandulae substantiae, modo massae cerebrali cum sanguine mixtae analogi adparent. Quibus, quum membrana serosa ipsa alienata non est, merito concludere licet, substantiam carcinomatosam a sanguine, cui inerat, separatam ad secretionis modum deponi, atque post hanc depositionem demum mutationes sibi proprias subire.

III. Substantiae carcinomatosae praesentia in sanguine maximi momenti res est, et non pauca labis carcinomatosae sub decursu phaenomena, imprimis ejusdem formationis modus explicari non possent, nisi probaretur, illam esse sequelam peculiaris modificationis sanguinis.

Sequentia fere extra dubium ponunt, materiae carcinomatosae formationem in sanguinis mole ipsa obtineri et perfici.

I. Reperitur illa materia in illis vasis, quae in tumoribus scirrhosis ramificantur, aut immediate, aut in eorundem vicinia.

II. Invenitur substantia carcinomatosa in illius organi vasis, ubi formatio scirrhosa sedem suam fixit.

III. Tandem in ejusmodi quoque vasis sanguiferis, quae cum organo hoc morbo adfecto nullum mediatum fovent nexum, uti in illo sanguine, qui in textum cellulosum aut in organorum superficiem effunditur.

Quae cum ita sint, praesente tumore carcinomatoso substantiam illam scirrhosam in sanguine reperiri quidam, non vero, illam ante scirrhi evolutionem in sanguine jam formatam esse, comprobant.

Symptomata, quae substantia scirrhosa in vasis sanguiferis edit, fere eadem sunt, ac si illa in organi superficie formaretur.

Quodsi in interna venarum magnarum facie v. c. venae portarum in lucem emergit, tum adipi, glandulae aut etiam fungo medullari analogam formam nanciscitur, atque ita memoratu dignum est, Prof. Schönlein in sua consideratione generali formationes carcinomatosas et quidem aneurisma ut carcinoma arteriarum, melanosim ut venarum, et fungum medullarem ut nervorum carcinoma considerandas esse, scire videtur.

Quodsi evictum concedimus, substantiam carcinomatosam in ipsa sanguinis mole ortum suum habere, consequenter inde sequitur, carcinoma evolvi posse in modum nutritionis et secretionis, aut in substantia moleculari aut etiam in organi cujusdam libera superficie. Partes formationis novae constituentes e sanguine separatae sub multis circumstantiis faventibus, quae plus minus in formam, figuram, colorationem et consistentiam pseudoplasmatis non exiguam exserunt potestatem, deponuntur. Hinc mali scirrhosi sedes neque ad certum quoddam systema aut texturam restringi, neque ejus ortum certae modificationi in structura organorum singulorum adscribi potest, imo labes carcinomatosa ceu sanguinis productum in omnibus potius corporis partibus occurrere valet. Malum hocce, de quo nobis sermo est, praeprimis in singulis organis crebro offendi, a circumstantiis longe aliis dependet, quas mox inducere velim. Andral opinionem illi contrariam defendens, textum cellulosum in genere eam organismi partem existimat, ubi carcinoma evolvitur quin ejus sententia argumentis sufficientibus suffulta sit.

Cruveilhier omnes novae formationes et pseudoplasmata organica, uti in genere omnes exallaxes seu diaphthoras, ceu productorum morbosorum depositiones in telam cellulosam (dans les elements cellulaires) organorum considerat, cum diversarum partium telam propriam nullam ulteriorem mutationem organicam subire posse putat, quam hypertrophiae et atrophiae, quod quidem supra memoratis refutatur.

Abernethy omnes novas formationes parti coagulabili adscribit sanguinis, quae aut in tela cellulosa aut in parenchimate aut in organorum superficie deponitur; et

materiam sibi nutrientem ex vasorum systemate organorum haurit.

Maxime ingeniosum scirrhi evolutionum explicandi conamen Hodgkins volum XV. Med. chirurg. transact. divulgavit, secundum quam scirrhi elementarem formationem uti et aliorum pseudoplasmatum ad praesentem sacciformem serosam membranam, cystidem reducit, id, quod recentissimo tempore disquisitiones microscopicae singulis in casibus multifarie comprobarunt. Cystides carcinomatis sedem constituere omnino posse, inde conjecturari licet, quod simplicissimae fortasse membranarum serosarum modificationes sunt, quod eadem penitus structura et functione insigniuntur, et idcirco iisdem quoque morbis eas subjectas esse possunt. Attamen comprobatu difficile est, carcinoma in cystidibus contineri, quin potius absque iis evolvitur.

De carcinomatis charactere physico et anatomico.

Sub charactere morbi cujusdam physico intelligitur forma, magnitudo, coloratio et consistentia, quas morbus localis sub evolutione diversa stadia percurrens in conspectum nobis edit; quas relationes in carcinomate nunc consideraturus sum.

1. Forma carcinomatis primo momento, quo singulae demum partes ad illius formationem deponuntur, in parenchymate organorum horum formam ac structuram acquirit, ita, ut v. c. in jecure acini, in ventriculo et membranis muciparis fibrae musculares aut membrana mucosa a substantia carcinomatosa quasi impregnentur. In cerebro, glandulis lymphaticis et testiculis primo

evolutionis tempore nulla colorationis et texturae conspicua mutatio animadvertitur. In evolutione progrediens formam unice ab externis circumstantiis et in specie a sede sua dependentem nanciscitur.

Memoratu dignissimae formae sunt: tuberiformis, stratiformis, et frondiformis.

a. Carcinoma tuberiforme, frequentissima formarum evolvitur, quum substantia carcinomatosa deponitur in organis, quae ubique aequabili pressioni exponuntur. In membranis serosis primitus quidem etiam tuberiforme evolvitur, serius vero in piriforme abit carcinoma ob inaequabilem in singulis locis pressionem. Saepenumero excrescit lobulata forma, praeprimis quum in textu celluloso et sub membranis mucosis evolvitur, ubi singuli lobi coacervati communi cinguntur membrana. (Sarcoma pancreaticum A b e r n e t h y.)

b. Carcinoma stratiforme imprimis sub membranis serosis in tela cellulosa occurrens variae extensionis, formam tenuium plerumque orbicularium macularum prae se ferens, et acsi sub membrana serosa in tela cellulosa fluidum lacteum injectum fuisset, externe adparet. Haec in pia matre aut pleura pulmonali reperitur forma, a proprio carcinomate ad fungum medullarem transitum faciens.

c. Carcinoma frondiforme non minus frequenter invenitur, et quidem fere semper in organis glandulosis, hinc in hepate, mammis et renibus, nonnumquam et in ventriculo. Maxime structura frondiformis conspicua est in renibus, in quibus saepe omnes venae organi hujus materia carcinomatosa minoris majorisve consistentiae reperiuntur. Simile quid respectu vasorum

lymphaticorum et adhuc frequentius lacteorum observatur.

II. Moles materiae carcinomatosae e sanguine depositae et si depositio inter moleculas organi cujusdam contingit, plerumque magna est. In hepate raro quidem fructus aurantii magnitudinem excedit, in organis vero minus resistentibus, uti in pulmonibus, testiculis et mammis magnitudo pseudoplasmatum diametrum 6—8 pollicum aequat. Expressionis externae influxum in carcinomatosorum plasmatum molem! Quousque evolutio extrorsum rigide fibrosa membrana restringitur, eousque moles ejusdem fere eadem manet, illa vero perforata ergo magis contingit, cum carcinoma integumenta communia perfore: tunc sub fungosarum, sanguinem plorantium excrescentiarum forma quotidie incrementum capit. Luculentissimum pressionis influxus, quem in evolutionem exerit, exemplum carcinoma oculi praebet; si enim bulbo per operationem exstirpato non simul omnia morbosa auferri queunt, restantia cito increscunt, et citius majorem ambitum acquirunt, quam ante operationem, ubi bulbus tumoris expansioni obstaculum erat.

III. Color plasmatum carcinomatosorum ab aliis pseudo-productis differt, atquae diagnoseos certioris faciendae signum largitur. Plerumque adest coloratio alba cum grisei aut caerulei coloris adflatu in luteam, in bruneam ant rubicundam crebro etiam vergens, quod aut a colore organi adfecti aut pure, aut bile vel sanguine extravasato, praesentibus denique ab aliis accidenlatibus dependere potest. Aliae quaedam colorationis modificationes reperiuntur in carcinomate eburneo conditionis cartilaginosae in pancreatico et lardoso ab facie sic denominatis.

IV. Scirrhi consistentia varia a tribus momentis verosimillime dependet, nimirum ab organi carcinomate adfecti qualitate, a pseudo-producti partibus constitutivis elementaribus, denique mutationibus subsequentibus, quas aut illud pseudoplasma, aut partes adjacentes subeunt.

1) Organon, in quo carcinoma sedem figit, structura, sede, majori minorivae texturae diversitate in consistentiam luculentum exserit influxum, hinc hepatis scirrhus durior, quam pulmonum aut cerebri. Carcinoma cutaneum illo membranae mucosae consistentius cet. id, quod ex molecularum ad se invicem sibi adproximantium compressione explicatur.

2) Carcinomatis partes elementares nutritionis via depositae, majorem consistentiam efficiunt, quam si secretionis modo deponuntur, cujus rei exemplum carcinomati adfinia pseudo plasmata fungi medullaris uti et fungi hematodis, in quibus plura aut pauciora vasa, quae adsunt, et albumen consistentiae gradum determinare videntur.

3) Quum non solum diversa morbi stadia, verum etiam corporis constitutio aegrotantis chemicarum partium constituentium varias mutationes producat necesse est, ex illis non tantum promanavit utilitatis, quantum pathologia sibi promisit. Analysis chemica, quam nuperrime instituit L o b s t e i n, et in suo: „traité d'anatomie pathologique" publicavit, sequentia edidit: 72 gr. mammae scirrhosae continebant:

Materiae albuminosae .	2 gr.
gelatinae	20 „
materiae fibrosae . . .	20 „
massae fluidae pinguis . .	10 „
aquae	20 „
	72 gr.

70 gr. uteri carcinomatosi in statu scirrhoso continebant:

materiae fibrosae . . .	10 „
gelatinae	15 gr.
massae pinguedini similis .	10 „
aquae	35 „
	70 gr.

Character anatomicus plasmatis carcinomatosi in ejus structura, atque singularum partium constituentium inter se relatione consistit.

Quum supra memoravimus, substantiam carcinomatosam in uno statu minimum, in altero eo majorem nisum fovere in organisationem, quum et supra mentionem fecimus, triplicem potissimum sedem figere, nimirum inter organorum moleculas, in superficiebus, quae libere patent, atque in sanguine ipso, ejusdem disquisitio anatomica in ultimis tantum duobus casibus locum habere potest, ubi illa materia aut in libera superficie, aut in vase quodam deposita est, atque hic tumor carcinomatosus ita formatus invenitur, ut maxima ejusdem pars ex vera substantia carcinomatosa et minor pars ex interposita tela cellulosa aut membranis serosis, interdum etiam ex cystidibus, gelatinam, albumen, aut fluidum quoddam continentibus, constet. In tumore carcinomatoso, in organorum parenchymate formato membranae serosae, fibrosae et tela cellulosa maximum saepe ambitum acquirunt, ita, ut A n d r a l in eisdem telam cellulosam hypertrophicam saepe detexisse testatur. Hinc carcinoma in organorum substantia conglomeratum plurium heterogenarum et inaequaliter mixtarum partium organicarum format, quarum ratio in singulo fere organo

variat. Vasa sanguifera versus mali exitum tumorem carcinomatosum perforantia in mammarum carcinomate maxime conspicua sunt, quamvis oculo armato in quavis alia formatione carcinomatosa deteguntur, insigniter dilatantur, varicosa redduntur, ut circulatio venosa emergat: vasa tumoris carinomatosi rami illorum vasorum sunt quae, in vicinis partibus semet extendunt. Nervorum fibrae nondum detectae sunt.

Incrementum et decursus.

Germen pseudo-plasmatis carcinomatosi per depositionem materiae carcinomatosae inter organorum moleuclas formari, jam dictum est, quum de sede et formationis modo disseruimus. Hoc germen prima vice adparet sub forma noduli lentiformis, duriusculi, in profundiori tela cellulosa ardue detegendi, qui lente solum crescit, et consuetim non prius detegitur, donec nucis avellanae magnitudinem fuerit nactus. Structuram nodulus hic ostendit forfidam, compactam, granulosam, quam usque ad certum evolutionis suae gradum servat. Cum circumferentiae augmento in medio minus densa evadit structura, eaque magis folliculosa perspicitur. Nunc primum discerni licet substantiam externam compactam corticalem et internam loculamentosam Dum lamellae discedunt; interstitia replentur liquido primo limpido, serius bruneo. Post loculamentorum formationem superficies externa convexatur, et ejus convexitas eo magis in conspectum venit, quo majora fiunt interstitia sepimentorum, densitas e contra in puncto maxime convexo substantiae corticalis imminuitur.

Incrementum noduli extensionem adjacentis telae cellulosae causat, et inde dolores ictibus similes per

vices recurrentes provocat. Extensio haec sensim altum nanciscitur gradum et venae, quae in ea ramificantur, sub forma striarum caerulearum adparent. Si evolutio ulterius inturbata procedit, loculamentorum sepimenta in medio disrumpunt, et cava eorum liquido bruneo repleta inter se communicant. Usque ad hunc gradum consuetim pseudo-plasma increscit, nunc autem sicuti vegetabilia, maturationem excedentia in putredinem abit, haec semper orditur a puncto illo substantiae corticalis, quod maxime est extensum et convexum.

Phaenomena instantis putredinis sunt: cutis color husdum normalis ob tensionem primo in rubrum, deinde in profunde bruneum transit, in vesicam cutis extollitur, quae mox rumpit, et plagam gangraenescentem relinquit.

In singulis casibus cutis nigra et sicca adparet, quin vesica formetur. Post plures dies pars gangraenosa cutis et pseudoplasmatis decidit, in ultimo putredo sensim suos facit progressus, dum prima vice sepimenta cavorum molliora, serius compactiorem substantiam corticosam corripit; hoc processu indurante e foramine fluidum stillat foetens, cutim omnem, quam tangit, corrodens.

Devastatio ab internis exteriora versus, et e margine aperturae in latidutinem semet extendit, in circumferentia propria durities substantiae corticalis adhuc per longius tempus consistit, sed et haec sensim et sensim gangraena corripitur, et devastationi succumbit. Postquam tali processu ultima pseudo-plasmatis pars resoluta, decidit, granulationes in fundo propullulant, cutis margines contrahuntur, et cicatrisatio insequitur. Scena autem nunc nequaquam est finita, sed reiteratur

in germinibus, quae in circumferentia remanserant, haec eodem modo incrementum capiunt, decurrunt intereuntque. Germina succrescentia formantur aut:

1) In circumferentia pseudo-plasmatis interiti,

2) in directione vasorum lymphaticorum, quae a parto adfectu ad glandulas lymphaticas excurrunt.

3) Non raro in organis remotis, quae cum primarie correpto nexum fovent causalem.

4) Denique in organis remotis, quae cum primarie adfecto plane nullum habent connexum.

Haec multiplicatio et nodulorum extensio gravissima totius organismi denotat compassionem, et signum est cachexiae universalis, quam scirrhosam vel carcinomatosam vocamus.

Diagnosis.

Diagnosis tumoris scirrhosi plerumque multis premitur difficultatibus. Tunc quidem, si cutis tumorem obtegens rugosa, plumbei coloris adparet, tumoris superficies nodosa, inaequalis est, in ipso saepius percipiuntur dolores lancinantes, si cum cute et partibus vicinis intime conjungitur, de scirrhosa ejus conditione non restat dubium. Ast durities et superficiei conditio scirrhi saepe multifariam variat, tumores alii cujuscumque generis easdem offerunt proprietates, et scirrhus e contra multis in casibus vicinis partibus non conjungitur, mobilis, indolorificus manet, cutis minime alienatur. Pro signo characteristico habetur nisus scirrhi, in cancrum apertum transeundi, et hac ratione ab induratione benigna distinguebatur, sed trans-

itus hic non semper modo necessario contingit; a fortuitis potius dependet circumstantiis, quibus tumor exponitur. Scirrhi raro in genere talem adipiscuntur circumferentiam, uti alius generis tumores, qui et minoris sunt ponderis, et minorem exserunt nisum, vicinas partes in metamorphosin morbosam pelliciendi. Disquisitio tumoris, facta exstirpatione, certam ejus naturae cognitionem admittit, quemadmodum rita propensio illius momenti, quod post exstirpationem similis tumor iterum in conspectum venit; respectus autem hujus rei solum relate ad prognosim magni est momenti. Cancer apertus ipse nonnunquam facile confundi potest cum ulceribus inveteratis syphiliticis et scrophulosis, quae symptomata cancro simillima non raro offerunt. In his casibus emolumentum aut detrimentum therapiae in nominatas dyscrasias directae medicum ducunt.

Aetiologia.

Inter momenta in hunc morbum disponentia primum locum tenet dispositio haereditaria, et multi pathologorum contendunt, carcinoma morbum esse semper haereditarium, ejusque germen a parentibus ad proles, a prolibus ad nepotes transferri; et revera in nonnullis familiis haec mali haereditaritas negari nequit. Praeterea dispositionem inducunt: scrophulosis inveterata post pubertatis evolutionem hucdum perstans, arthritis haereditaria et male tractata, syphilis solum suppressa, non ex integro sanata, in foeminis sterilitas vigente formationis nisu forti, indurationes in sequelam inflammationum scrophulosarum.

Momentis occasionalibus omnes adnumerantur influxus, qui auctum sanguinis adfluxum ad singulas partes, humorum congestiones, extravasata causant, po-

tentiae directo modo et saepius irritantes, laesiones externae, partium organicarum pressio contusio; imo cura, moeror, anxietas in singulis organis similes valent inducere effectus.

Horum influxuum raro respectus habetur, cum primae earum sequelae mox disparent, malo autem ingravescente aegri exantlatae laesionis non rememiniscuntur, et sic morbus fortuito ortus fuisse dicitur.

Quemadmodum in omni, sic etiam in hoc morbo sententia valet: Quo major est dispositio, eo minor requiritur causa, et sic vice versa.

Prognosis.

Praesaglum de futura sorte aegri in hoc morbo semper anceps est statuendum, nam scirrhus consuetim suum, nullis artis adminiculis refrenandum facit decursum supra memoratum. Sub optimis saepe auspiciis inopinate exitus evadit lethalis. Melius est statuendum vaticinium, si scirrhus aut carcinoma superficiales partes in exiguo solum ambitu occupat, dispositio haereditaria deest, individuum aegrum non universali plectitur morbo, si malum exortum est in sequelam noae externae, si individuum morbo detentum est juvenile, morbis praegressis non exhaustum. E contra parum speramus de futura salute, si in individuo aetate provecto enervato, cum haereditaria dispositione praedito rapidum facit decursum, si cachexia carcinomatosa jam in conspectum ruit, quo in casu morbus secundum praesentem statum scientiae nostrae est insanabilis, et aeger sorti suo tristissimo deditus.

Therapia.

Cura in scirrhum vel carcinoma directa, jam radicalem sanationem spectat, jam solum eo tendit, ut mali rapidus refrenetur decursus et symptomata molestissima mitigentur (palliativa). Respectu sanationis radicalis via est duplex, qua eam impetrare tendimus.

1. Per tumoris resolutionem ope remediorum interne aut externe adplicatorum.

2. Per amotionem istius ope cultri aut causticorum.

Quod adtinet ad 1. memorandum est, quod plurimi medicorum hanc sanationis methodum plus detrimenti, quam emolumenti secum ducere dicunt, cum remedia in hunc scopum in usum vocata, effectu suo irritante carcinomatis evolutionem magis expedirent, dum inflammationem adaugeant. Hoc negari nequit, quod summa circumspectione et cautione in usu horum remediorum opus sit, ne per ea sors aegri in pejus convertatur.

Ad remedia, quae dissolutionis tumoris scirrhosi gratia in usum vocantur spectant: antiphlogistica uti depletiones sanguinis universales, et locales per hirudines, diaeta restricta, evacuantia et systema lymphaticum incitantia, laudantur et narcotica, quod non irritando mali exacerbationis timorem non injiciunt. Huc pertinent praeter Conium, herb. Digital. purp. Aqua laurocerasi et secundum B r e r a, T o m a g l i n i et O s i a n d e r, Acidum hydrocyanicum. Recentiori tempore narcoticorum resolvens fortissimum et contra cancrum laudatum remedium habetur Belladonna, cujus foliorum pulvis ab initio a 5 — 10 gran. radicis et extracti a ½ — 1 gr. partita dosi exhibetur. Belladonnae connubium cum Tart. stibiato, imprimis cum Aqua lauroce-

rasi laudatum est. Aconitum adhibendum esse in scirrho ex rheumatica aut arthritica diathesi orto, nonnulli volunt, et quidem incipiendo a grano extracti pro dosi, et adcrescendo ad 10 gr.

Rust Calendulae officinalis usum proficuum laudat eamque sequenti sub formula exhibuit:

Rp. Extract. Calendulae
Pulv. herb. et flor. Calend.
āā *drachm. duas*
Misc. fiant pill. gran. duor. Consp. c. pulv. Lycopod.
D. Sg. Ter quotidie 8 pill. sumend.

Eximiam virtutem Decocti Zittmanni in labiorum et faciei carcinomate idem Rust confirmat; vide Rust's Aufsätze und Abhandlungen, Bd. 1, pag. 267. Verba ejus ipsissima: Ich kann mich von diesem Gegenstande nicht trennen, ohne der ausgezeichneten Wirksamkeit des Zittmann'schen Decoctes beim Krebs überhaupt, und namentlich beim Gesichts- und Lippenkrebse, wovon mich spätere Erfahrungen überzeugt haben, hier Erwähnung zu thun. Es ist unglaublich, was man in einzelnen Fällen damit auszurichten vermag, besonders wird mir ein Fall vom Lippenkrebs, der lediglich durch den sechswöchentlichen Gebrauch dieses Decoctes radical gehoben wurde, unvergesslich bleiben. Das von fünf als tüchtig anerkannten Aerzten als Krebs bezeichnete Uebel war schon so weit gediehen, dass bereits die Submaxillardrüse der kranken Seite verhärtet und unbeweglich, und an eine Exstirpation des kranken Lippentheils, die Mancher noch für das einzige Rettungsmittel gehalten haben würde, den mir befreundeten Kranken, der ausserdem auch an Gichtzufällen litt, zu retten, mit der Wahrscheinlichkeit eines günstigen Erfolges auch nicht mehr zu denken war. In der Hoffnung, einige Linde-

rung der Zufälle, vielleicht auch eine Rückbildung des Uebels, wenigstens in so weit herbeizuführen, dass ein operatives oder sonstiges örtliches Verfahren später Statt finden könnte, wurde das Zittmann'sche Decoct verordnet. Dessen Einwirkung zeigte sich schon wenige Wochen nach der Kur so heilsam, dass kein weiteres Verfahren und keine Anwendung irgend eines örtlichen Mittels mehr nothwendig war, um eine vollständige Schmelzung aller Verhärtung sowohl der Lippen als der Submaxillardrüse, ingleichen eine dauernde Vernarbung der bereits exulcerirten Stelle herbei zu führen.

Tam interne quam externe et Arsenicum adhibetur ad dissolvendos tumores scirrhosos, cujus autem usus prae aliis medicamentis summam exposcit circumspectionem, cum non solum interne adhibitus, sed et usus ejus externus facillimo modo intoxicationem inducit. Methodus, secundum Febur est sequens: Solvuntur quatuor grana Arsenici albi in libris duabus Aquae. De solutione hac mane jejuno adhuc ventriculo sumitur cochlear cibarium cum eadem quantitate lactis et drachma dimidia Syrupi Diacod. Post octo dies mane et vesperi cochlearia duo sumere jubet. In individuis teneris dosim non amplius auget, robustis et sex cochlearia concedit. Tota cura supra designatam dosim sexies exposcit. Portio secunda ex granis sex, tertia ex octo granis paratur, secus dosim non amplius auget.

Remedium hoc non est ingratum, nullas decisivas excitat excretiones, et plane nulla causat incommoda. Omni octava die cura durante purgans porrigitur, e Manna, Rheo et Sale Seidlicensi constans, pro potu serum lactis aut Decoctum Althaeae cum pauxillo nitri puri porrigitur, vinum et omnia potulenta calefacientia sedulo evitari debent, quemadmodum etiam caro

assata, caro autem vitulina et gallinarum, cocta poma et herbae bene conveniunt. Et externe Feburo ad dissolvendos tumores scirrhosos utitur Arsenico sequenti modo: instituit lotiones cum solutione arsenicali, tunc tumorem obtegit cum pasa, quae constat e libra succi mororum semiuncia sacchari saturni et eadem quantitate Arsenici in aceto soluti, 1½ drachma Laudani liquidi, et tot pulveris Conii maculati, quod ad pastam requiritur. Cancrum apertum eodem modo tractat.

His autem omnibus remediis solum tunc locus conceditur, si impossibilitas adest, scirrhum directo modo amoveri, e contra praeferenda ejus exstirpatio ope cultri aut exstinctio ope causticorum de quo nunc acturus sum.

a) Exstirpatio scirrhi omnibus caeteris methodis optima habetur, quum scirrho semper inflammatio accedit, indeque transitus in cancrum apertum prohiberi nequit, ablato autem producto morboso aeger saltem de hac certa mortis causa liberatur. Possibilitas tamen remanet, quod in alio organo iterum formatio scirrhosa contingit, nisi dispositio in scirrhum imminuitur aut plane aufertur.

Modus exstirpationis in genere determinari nequit, instituitur secundum regulas exstirpationis tumorum cysticorum.

b) Exstinctio ope Arsenici jam diu a medicis tentatur, et de usu ejus proficuo dubium non restat, quum non solum morbosa delet, sed in circumferentia plasticam excitat inflammationem. Inter methodos, quibus adhibetur, illa Hellmundi sibi optimam famam emeruit.

Haec methodus securam sanationem sperare licet si diametrum plagae scirrhosae 2—6 lineas non tran-

sit, in casu opposito praevia ablatio cum cultro est necesse, aut Methodus secundum Cosme. Malo autem nimiopere provecto, si jam cachexia adparet cancrosa, haec Methodus adeo parum, ut quaevis alia, juvare valet.

Applicationis modus secundum Hellmund.

Rp. Arsenici albi
scrupulos duos
Cinerum solearum vetustarum
grana duodecim.
Cinnabaris artefactae
drachmas duas.
M. f. pulv. subtilissimus.
D. Sg. pulv. arsenicalis No. 1.

Rp. Balsami peruviani nigri
Extracti Conii maculati
āā *unciam.*
Plumbi acetici crystallisati
scrupulos quatuor.
Tincturae opii crocatae
scrupulos duos.
Cerati simplicis
uncias quatuor.
M. l. a. exactissime.
D. Sg. Unguentum narcotico — balsamicum No. 2.

Rp. Pulveris arsenicalis No. 1
drachmam unam.
Unguenti narcotico balsam. No. 2
unciam.
M. exactissime.
D. S. Unguentum arsenicale compositum No. 3.

Hoc remedium sequenti modo adplicatur: splenia cum unguento No. 3 illinita parti morbosae ita imponuntur, ut ubique illa cum hoc sint in contactu, margines ulceris praeterea ad duas fere lineas cum unguento obteguntur. Post spatium aliquot horarum in ulcere dolor excitatur nonnunquam intensissimus, circumferentia

intumescit, et erysipelatosam ostendit inflammationem, his symptomatibus febris nonnunquam accedit. Deligatio quotidie iteratur.

Die tertia aut quarta inflammationis symptomata universim decrescunt, superficies ulceris gangraenosa prospicit, putredinis spargit foetorem et ichoris majorem secernit copiam; die circiter sexta superficies in crustam commutatur bruneam, humidam, mollem. Nunc loco unguenti arsenicalis in usum vocatur Unguentum narcotico balsamicum, quod simili modo adplicatur.

Die decima quarta crusta solvitur, et subtus casu felici granulationes adparent — citius aut serius nunc cicatrisatio sequitur.

Pasta arsenicalis Cosmi cum spatula illinitur immediate ulceris superficiei. Hoc remedium intensissimos, vix tolerabiles causat dolores, et fortius illo agit.

Arsenicum non solum partium organicarum vitam delet, structuram devastat, in partibus vicinis inflammationem provocat, quae sufficit, ut morbosa detrudantur, sed specifice in scirrhosas partes agit, quapropter observamus, inflammationem per Arsenicum semper esse plasticam.

Facta exstirpatione iterataque causticorum adplicatione, si malum iterum iterumque redit, tunc ad internum remediorum usum confugimus, quibus virtutem inesse putamus, symptomata componendi, quae sunt periculosa aut valdopere molesta, ut saltem vitam procrastinemus, et lenimen misero inferamus.

Theses defendendae.

1.

Solum, qui medicinae chirurgiam jungit, medicus perfectus.

2.

Anamnesticorum perfecta cognitio potissimum diagnoseos conficiendae subsidium.

3.

Non raro diarrhoea purgantibus, vomitus emeticis curatur.

4.

Sol, aër et aqua in scrophulis plus praestant, quam pharmaca.

5.

In morbis, ubi purgans indicatum, non idem, quale exhibeas.

6.

Non datur docimasia pulmonum omnibus numeris absoluta.

7.

Urbes morborum castra.

8.

Varii morbi eodem remedio et unus morbus variis remediis curatur.

9.

Alia aetas alia ad morbos dispositio.

10.

Liberi medici populares plus damni, quam utilitatis sunt.

11.

Dantur morbi occulti.

12.

Non datur herniae incarceratio spasmodica.

13.

Studium medicinae nonnisi morte finiendum.